

DE VINO EIVS
QVE PARTIBVS, DIFFE
RENTIIS, DEQVE VERO VSV
DISPVTATIO PVBLICE
PROPOSITA

vid. Will. Grataw.
lun de natura vini.
Rembert. Dodonai
Siphov. vitis & vini.

A
IOANNE HOFMANNO

FORCHEMIO, ARTIVM ET
MEDICINAE DOCTORE

AD DIEM XIII. IVLII.

RESPONDENTE SEBA

STIANO SCHEVBIO LIPSICO

BONARVM ARTIVM


MAGISTRO.

LIPSIAE

IN OFFICINA HAERED.
VALENTINI PAPAE.

ANNO.

M. D. LVIII.



W woluminie kolejno współprawne sygnatury:

**Odręczny
spis tytułów**

SD 4122 II

SD 4123 II

SD 4124 II

SD 4125 II

SD 4126 II

SD 4127 II

Inc. 331

SD 4129 II

SD 4130 II

SD 4131 II

SD 4132 II

SD 4133 II

SD 4134 II

SD 4135 II

SD 4136 II

SD 4137 II

SD 4138 II

SD 4139 II

SD 4140 II

SD 4141 II

SD 4142 II

SD 4143 II

SD 4144 II

SD 4145 II

SD 4146 II

SD 4147 II

SD 4148 II

SD 4149 II

SD 4150 II

SD 4151 II

SD 4152 II

SD 4153 II

SD 4154 II

SD 4155 II

SD 4156 II

SD 4157 II

SD 4158 II

SD 4159 II


SD 4160 II

SD 4161 II

SD 4162 II

Inc. 331 b

Rkp. XVI wiek





In hoc libro contenta

- 1 Caxemes p. inera mediana, a de peste, Gab. f. yale p. 17. G.
- 2 Poptaria epigon medica, emde, Antiochia ad 62. L
- 3 Podagra liden elegiac p. Ed. Hesp. Plogitio, 31. C.
- 4 Febrio dialogis Hottentis, 14 brendin Luthon. A.
- 5 In C. Plinij l. 30 cap. 122. Magia Apologia Tuteny. G.
- 6 Masheoli test de artificiali memoria. A.
- 7 Ars memoriae Ge. Sibitij a pœniata alio. A.
- 8 Vithenta exorata p. linn Cornarum. ad 45. Encl.
- 9 Nita ac Brachila p. Vity. Exor. asserenda p. i. d. Aug. 8.
- 10 Ad illibet calumnias Fudij, rufio Egenolphi. B.
- 11 Disputa de testam na a mial seminis na D. Roth a.
- 12 Disp. Wensley Baion q. D. Roth. Aet.
- 13 Disp. Hominij Shomney de morte Gori.
- 14 Disputa D. Amichatij de pœniemoria. A.
- 15 Disputationes duae D. Rothae p. Dolorandis aliq. D.
- 16 Disp. D. Amichatij, de 180 Comitah.
- 17 Disp. Casp. Naeij de Phebonia. ad 48.
- 18 Disp. D. Fendij, p. Rerpadhero doctorendo.
- 19 Disp. D. Menney de catharus, rudente P. hio. ad 49. C.
- 20 Disputa D. Roth cum Pœsthorfio de Phebonia. Aet.
- 21 Allocatio a purgatio Sumat D. Naeij, ad 51. C.
- 22 Disp. de plegione, 1 Hamilleij & Flacij.
- 23 De lotione a balneis D. Amichatij & Plogitio. E.

24. Dissertat. B. Jacobi Titichij & Sincero & Nathero.
25. Diss. P. Rell, & Bodrio, Nachholdo.
26. Diss. de causis febrind in græc, V. Clavij.
27. Diss. P. Svin: Scheitij de Archi Tri notica.
28. De sang & pituita V. Peembach & 3 Valtore
29. V. Peembach & dore & Quast medica (D
31. De calore & spirit naturo diss. Mennerg & Steinnich. C.
32. De nino & eius quatuor V. Hoffmann & Scheitij
33. De lute diss. Hufsen & M. Baroth. 34. Esstasis Strack
35. Elementa Hip. & Gal. V. Peembach & M. Baroth.
36. Reta moderat. ratio V. Mennerg. C.
37. Cæ & principia certitudinis V. Titij Regionoh. C.
38. Dissertat. de peste naturo diss. Lamm, Faysen.
39. Ougo & ca. petri & Bernhardi Eincedling
40. Cinc. & Scholentz V. Hermin. Steinnich. 41. V. Kontmann.
42. Von ungeliefen. 43. Vom Meinen ^{bro. off} melf
44. Facchia & mores mense caru. 45. Caphys V. Petron. E.

DE VINO EIVS
QVE PARTIBVS, DIFFE
RENTIIS, DEQVE VERO VSV
DISPVTATIO PVBLICE
PROPOSITA

vid. Will. Grataw.
lum de natura vini.
Rembert. Dodonai
Sistur. vitis & vini.

A
IOANNE HOFMANNO

FORCHEMIO, ARTIVM ET
MEDICINAE DOCTORE

AD DIEM XIII. IVLII.

RESPONDENTE SEBA

STIANO SCHEVBIO LIPSICO

BONARVM ARTIVM

MAGISTRO.

LIPSIAE

IN OFFICINA HAERED.
VALENTINI PAPAE.

ANNO.

M. D. LVIII.

DE DISPUTATIONE A

Cl. uiro D. Iohanne Hofmanno
proposita πρὸς οἶνον.

Οἶνον ἐπαινέσας εὖρ' αὐτὸς ἐπαινὸν ἀσιδὸς
χίθ', ὅς ἐμὲν πρῶτα χοροῦ φίλος,
ἀλλ' ἀκρεβὴ τὸ τ' ἐκθέμενον πρὸς βιβλίον οἶνον
ἰσορίλιν, πόσους ἄξιον ἀνέσεως;
ἦμ' ἱατρὸς ἰωάννης ξυνέγραψε, πονήσας
ὠφέλιμον πρὸς αὐτὸς μάχθον ἐλευθερίας.
τῷ δ' ἀναλεξάμεν πολὺν φραγκίδ' αἶμα
ξυγκομιδὴς ἐδὴ λυγροῦς μέθοδον,
τῶν μὲν θυγνώμης διέφαιτ', ἐγκώμια δ' οἶνον
ἠγῆται πρὸς πᾶν ἀνέρι φραγκιγενῶ.

Ἰωαχάμ Καμάρ



QVAESTIO.

Vtrum uinum, qui liquor est, ex uitis expressus calidus & siccus, uiresq; ebulliendo sibi reparans potando multa ante secula commodissime usurpatus, variarum & partium & differentiarum, uarij deniq; usus recte perhibeatur?

I.

CONCLVSIONES.

Explicationem quorundam, uinum ideo dictum iudicantium, quod menti uim inferat. Vel ut Plato *οἶνον* quasi *οἶνον* non recipimus, nisi quis de abusu hoc intellectum uelit, sed potius Græcæ Vocis *οἶνον* *αἶμα* quod iuuare & prodesse sonat, etymologiam retinebimus, proprio enim quodam modo naturæ humanæ Vinum familiare esse constat.

II.

Et hi, qui uel naturam, uel usum uini explicare studuerunt, quod aut partes differentiasq; non recte intelligerēt, aut certe male distinguerent, sæpe erroribus non carent.

III.

Tam his igitur, quam alijs pro nostra tenuitate expositis aliquo modo, uti speramus, & uires & uerū usum facilius quis cognoscet: quæ hodie tum utilia tum pernecessaria uidentur.

IIII.

De partibus uini.

A 2

Cum

Cum nullus liquor aut succus in terris ad amu-
sim simularium partium Galeno docente inuenia-
tur, uino hoc maxime competere demonstrabimus.

V.

Totum enim illud, quod ex uuis exprimitur
Mustum appellatum, quatuor in uniuersum partium
existit.

VI.

Quarum prima, quæ pro excremento tantum
habetur, & tanquã crassarũ & frigidarum partiũ est,
feruoris tempore deorsum fertur, fexq; nominatur:
Similitudine quadam humori Melancholico à qui-
busdam optimis Authoribus contetur.

VII.

Flos dicitur altera, quæ tenuiorum partium ex-
istit & summa petit, dum feruet Vinum, postea ad
feces defertur, eamq; Flayæ bili assimilant.

VIII.

Aqueã quoq; tertiã partem toti uino permisceri
deprehendimus, quæ uti phlegma usũ in corporibus
habet, ita ipsa utiliter admiscetur, aliàs æque uti
piores expurgaretur facile à natura.

IX.

Postremo uerum Vinum intelligitur, quod om-
niũ excrementorũ expers est, id cogitatione potius
comprehenditur, quàm quod reuera inueniatur,
quamuis tamen aliud plus, minusque aliud aquæ
admistũ habeat. hoc medici Merum, οἰνωδες Hippo-
crates, nominare uoluerunt.

Aërea

X.

Aërea quinta pars uini ab Aristotele adijcitur, quam nihil aliud quam uini resolutionem seu exhalationem esse credimus.

XI.

De Differentijs.

Sunt plures differentiae uini, quam quae disputationis loco explicari possint. haec aut summa & prima est, qua uinum aliquod naturale, facticium aliquod dicitur.

XII.

Vini naturalis differentiae tam à propria natura quam à rebus extrinsecus aduenientibus sumuntur, & quidem à priori quinque recitabimus.

XIII.

Differentiae à propria natura.

Primam modus ipsius substantiae constituit, quo aliud crassissimum, tenuissimum aliud dicitur. Vnde tamen intermediae formae oriuntur plures, quo uidelicet magis minusue ab extremis recedunt.

XIIII.

Vires alteram faciunt, quibus aut potens siue forte, aut imbecille quod pauciferum uocant, *ὀλιγόφορον* Græci. & haec, diuisiones alias gignit copiosas, & certe scitu dignissimas.

XV.

Ac primo quis medium inter extrema genera constituat, & ab hoc diuidendo ad summum usque

uel ascendat, uel ad infimum descendat, si placuerit,
gradus quoq; inter hæc constituendo.

XVI.

Ex Sapore tertia differentia ortum ducit, Vnde
duo extrema dulce & austerum constitui possunt, &
ex his formæ aliæ prosiliunt.

XVII.

Color quartam præbere uidetur, ubi extrema
nigrum & album recte constituuntur, Fuluum
uero & pallidum rubeumq; ex his nasci uerè quis
diceret.

XVIII.

Ex odore postrema sumitur, Cuius æque plu-
res recitare liceret species. At nos in presenti sermone
odorem malum & bonum summa genera ponenda
existimamus.

XIX.

Differentiæ à rebus extrinsecus
aduenientibus.

Et harum rerum pene innumerabiles differen-
tias quis recitare posset, Verum cum ad usum no-
strū non usq; adeo ualere uideatur, necessarias nobis
tantum, ne in uolumen disputatio excreseat, enume-
rabimus.

XX.

A Tempore.

Hinc uina alia recentia, alia Vetus, quæ ex-
trema genera intermedia admittunt plurima: sunt
enim uel unius, duorum, trium etc. annorum uina.

A Regi-

XXI.

A Regione.

Quot sunt regiones, tot fere sunt uinorum differentia: diuersarum enim omnino sunt uirium uina Italica, Francica Orientalia, Francica Occidentalia, Rhenensia, Thuringia etc. sic de reliquis de quibus postea.

XXII.

Ab Artificio.

Cum usus uinorum eorum, quæ arte conficiuntur hodie sit creberrimus, series tractationis nostræ postulare uidetur, ut breuiter hæc attingamus.

XXIII.

Primo alia coquuntur per se & sine admittance aliarum rerum. Cocturam hanc, sapam & defrutum latini, Græci *ἑψημα καὶ σίγαρον* nominarunt, alijs uero aliquid pro arbitrio adijcitur.

XXIII.

Coctio autem eorum fit uel feruoris tempore, uel antea, uel post etiam, sed ante feruorem dulcissima coquendo redduntur & crassissima, & quod diutius coquuntur eò crassiora fiunt, id quod experiri est in eo, quod cum Elenio coquitur.

XXV.

Alijs sine igne res quæpiam admiscuntur, & id quidem uel ante feruorem, uel post, ut Absinthium, scolopendria, hyssopus, rosmarinus, & huius generis alia. At quomodo hæc conficiantur, hoc loco docendum non est.

Caterum

XXVI.

Cæterum alij liquores sunt, quos sub Vini nomine uendunt, uti ex cerasis, pyris, pomis, prunis syluestribus etc. expressi, quos hoc nobilissimo nomine haud dignos putamus. Ac de differentijs hæc commemorata sufficiant.

XXVII.

De Modo utendi.

Quamuis usus uini & nostro seculo sit omnium communissimus & iucundissimus, tamen ad explicandum est difficilissimus. Quoniam alij in hunc errorem peruenerunt, ut omnibus hominibus uina non aliter atq; uenenum interdican, alij uero contra omnia genera uinorum omnibus commendent.

XXVIII.

Hoc autem uerissimum esse constat, quod quædam uina corpora humana celerrime & plurimum nutriant, & quam optime afficiant, quædam autem eadem non minus lædant: Opere præcium igitur fore iudicamus, ut in uero usu & in uinis salubribus distinguendis, diligentio rem operam pro tenuitatis nostræ & temporis ratione, adhibeamus.

XXIX.

De usu uini à partibus.

Mustum quod omnium partium particeps reperitur (nam illud est, quod iam ex uuis expressum & ab excrementis nondum expurgatum est) ab usu hominum reijciendum putamus: Quoniam sanguinē crassum & phlegmaticum generat, obstructionsq; epatis,

ris, splenis, renum, aliarumque partium, & flatus sæpe excitat, unde morbi grauissimi oriuntur.

XXX.

At ubi à fecibus bene feruendo separatum est, uti duæ partes aqueæ & uinosæ nimirum relinquatur, ad usum, iusto tamen modo, uenire permittemus.

XXXI.

A modo substantiæ.

Crassum & terrestre uinum difficulter coquitur, uentriculum & reliqua uiscera grauat, serius distribuitur, & crassos humores generat multos, hinc ingentia & horribilia mala sequuntur.

XXXII.

Tenue autem non tantum contraria hæc habet omnia, sed & facile penetrat, & humores crassos incidendo attenuat, eosdemque abluendo & abstergendo euentare facit. Et ita deinceps contrariæ actiones generibus diuersis attribui facile possunt.

XXXIII.

A uiribus.

Vinum uehementer forte, quale est maluaticum & huiusmodi alia, caput replet, sensus turbat, Epar & sanguinem omnem calore alieno calefaciendo & natium debilitando corrumpit. perniciosum est igitur admodum, præsertim si magna copia bibitur.

XXXIII.

ἀλυσόφρα uero, quæ paucifera dicuntur à medicis, qualia propemodum in his terris proueniunt, con-

trario modo se habent, at uentriculo minus utilia, igitur media eligenda ueniunt, & diligentis Medici est unicuique naturę salubriora præscribere, & sanitatis studiosi obtemperare.

XXXV.

A Sapore.

Dulcia uina calida & sicca, uti ex sapore conijci-
tur, nutritioni quidem & pectori accommodatissima,
at sitim non sedant, neque calidis naturis conueniunt
teste Hippocrate.

XXXVI.

Austera uero contra, frigidiora multo existunt,
minus igitur uentriculo præsertim frigido & humi-
do, calidioribus autem magis prosunt, & fluxioni-
bus uentris opitulantur.

XXXVII.

Amara, quæ plerumque ex uetustate talia eua-
dunt, omnium calidissima & siccissima sunt. itaque fu-
gienda plerisque fuademus.

XXXVIII.

Acida etiam frigidiora & humidiora, minus ta-
men crassarum partium austeris, ob id urinam magis
cient & digestionem inserviunt multo foelicius, salu-
briora itaque multo, præcipue calidis naturis.

XXXIX.

Acerba his crassiora & sicciora & frigidiora,
ob id minus commendantur.

XL.

A colore.

Nigra sunt crassa & sicca propter terrestritatem
in eis dominantem, ob id omnibus membris nutriti-
oni inserviientibus, inimica, & reliquis omnibus pessima.
Alba

XLI.

Alba uero tenuia & aquosa sunt, ob id nigris utilitate præstant, sicut in propositione 23. dicebatur.

XLII.

Rubea quæ ῥυβρά Græcis dicuntur, proxime nigra sequuntur, & quanto magis in colore & crassitie remittunt, tanto meliora illis dicuntur: astringunt tamen, & ideo colorem natium æstatis tempore fouent, ob id amantur, & neutiquam ob frigiditatem, ut imperiti existimant. κίττα autem omnium fortissima sunt, Galeno teste.

XLIII.

Fulua quæ φαιδὰ appellantur & colore & crassitie, rubeo remissiora sunt.

XLIIII.

Pallida siue ἀλβὰ, ferè ad alba gradu proximo referuntur, omnia habent mediocria, hinc in genere humano omnium utilissima & usitatissima rectè perhibentur, id quod ex dictis facile est consicere.

XLV.

Vinum Aromatici odoris est omnium saluberrimum, quoniam subtilis est substantiæ, ab omnibus sordibus exacte mundatum, à calore solari percoctum. ob id optimum sanguinem generat, uentriculo epaticq; amicum, cor nobilissimum membrum confortat & latificat, & cogitationes tandem puras reatasq; facit.

XLVI.

B

2

Mali

Mali odoris oderunt merito omnes, at id quod nullius odoris est, non minus pessimum, quoniam omnia uitia Aromatico contraria habet, quæ immaturum & adhuc crudum existit, ita & ferientis odoris reijcimus uina.

XLVII.

A Tempore.

Recentia uina improbanda cur sint conclusione 29. relatum est. At peruetusta non minus nocua, quoniam cerebrum & mentem lædunt, colorem naturæ extinguunt, intermedia igitur eligantur.

XLVIII.

A regione.

Quemadmodum nostra ætas alijs quoque rebus est delicatior & elegantior, quam fuit maiorum nostrorum, ita exotica uina nunc frequentiora esse, & e regionibus externis pluribus importari solent. Nos tamen non nisi maxime usitatorum naturam attingemus.

XLIX.

Omnium uinorum, quæ in usu apud nos habentur gratissimum & præstantissimum Rhenense iudicamus. si enim uera ratione bibitur, uires totius corporis instaurat, bonum sanguinem, & animum hilarem, sensus omnes alacriores facit.

L.

Eadem hæc ferè præstant quædam Franconica Occidentalia, quauis sint pleræque crassioris substantiæ & caloris durioris, ob id caput citius replent, quam
uis

uis nec Rhenensia omnia æquè probentur.

L I.

Simiam Rhenensis uini quis illud quod à Nec care nomen habet, appellare possit, quoniam imbecillius agit omnia, calidis tamen naturis prodest præcæteris omnibus. Præter hæc, urinam promouet, humores crassos incidit, abstergendo expurgat, igitur calculosis perutile.

L II.

Italica autem uina & Gallica, quæ nigra, dulcia & crassa, uel rubra feruentisq; odoris ferè omnia conspiciuntur, carnem augent, at uentriculum inflant, caput replendo abunde grauant, hinc celerrimè inebriant, sanguinem crassum generant, difficulter digeruntur. obstructionibus obnoxia, calidisq; naturis pestifera, aliâq; mala ingentia inferentia.

L III.

Kötzbergense qd hîc magno pretio æstimatur, crassum quidem & terrestre est uinum, per se tamen pauciferum, quia facile corrumpitur & ideo insalubrius, multorumq; morborum causa, uti Podagræ & huic similitum.

L IIII.

Thuringia plerumq; ἀλγόφορα sunt, crassiora tamen ut reliqua nostri soli uina ferè omnia, hoc tamen statuendum est, si sunt alba & tenuia, quamuis acida, esse illa quauis Cereuisia, si non meliora, certè non deteriora.

L V.

Deuinis Facitij.

Omnia uina coquendo incrassantur, eorumq;

B

3

calor

calor natiuus deperdit, alienusq; substantiam inuadit, quapropter inutile pondus relinquitur, quemadmodum quilibet facile cogitare potest.

LVI.

Reliqua autem quæ sine coctione preparantur, si in his uerus modus adhibetur, saluberrima sæpe sunt, ut si uino tenui aliquid radicis Pæoniæ uel Betonicæ admiscetur, ijs qui Epilepsia laborant, conuenit, cum tamen aliàs à uino abstinere debeant.

LVII.

Sic absinthiacum non tantum hesternam crapulam leuare dicitur, sed & crassos & frigidos aliosq; humores incidendo abstergendoq; ex uentriculo expurgat. Ac multa alia commoda affert, quamuis grauatis capitibus obsit.

LVIII.

Vinum adustum, q; apud multos & magnates etiam in magno pretio habetur, inimicissimum est epati, reliquisq; uisceribus. Hinc assiduo eius usu multo plures læduntur, quam iunguntur.

LIX.

A Temporibus Anni.

Aestatis tempore, cum corpora nostra euentationibus obnoxia, calidorum siccorumq; humorum plena sint, ob id à liberaliore potatione uini, præsertim meracioris abstinendum censemus, Rubrum autem eo tempore magis probatur, si tamen bibatur parcius, liberalius autem aquosum album & tenue ut illud Neccaricum aut Rhenensia Franconicaq; paucifera.

Hyeme

LX.

Hyeme uero, quo tempore humores generantur humidi & frigidi, paulo liberaliorem usum uini & uinosius, ut sic appellem, uinum, quod tamen purum splendidumq; sit concedimus, qualia sunt Rhenensia & Franconica.

LXI.

Medium inter utrumq; obtinet Ver, tamen cum eo tempore non tantum fiat motio sed & auctio sanguinis, minuendam potionē uinosam iudicamus.

LXII.

Autumno quod tempus est Melancholicum, usurpetur uinum tenue, album, non tamen plane aquosum uti in æstatis tempore dicebatur, quo hic frigidus & crassus humor mulceatur & incidatur.

LXIII.

A Temperaturis.

Calidis & siccis naturis, quas Cholericas vulgo uocant, eadem uina conveniunt, quæ æstati attribuebantur, at frigidis & humidis eligendum est meracius, uti de hyeme relatum est.

LXIII.

Frigidis uero, & siccis hoc est Melancholicis, uina Autumnalia cōmēdamus, quo eorum socordia exuatur, & tristitia mitiget, qbus præditi tales sunt.

LXV.

Calidis & humidis, quas sanguineas naturas dicimus, uina multum nutriētia, uti sunt dulcia & mera-

meracia interdiciamus, aut certe horum usum parcissimum & præter illa aquosa concedimus, ne eorum corpora in plenitudinem incidant, unde apoplexia, febres pestilenciales, ardentes, continuæ, aliq̃ morbi periculosissimi oriuntur.

LXVI.

A plagis Cœli.

Cum situs terre nostrę maxime ad septētrionem tendat, unde pfecto frigidior & humidior reperit̃. ideo uinum tanquā potū ad cōseruandum nostrā naturam, necessariū requirimus, quod sua caliditate frigidum calefacit, siccitate humidū ad temperiem deducit, aut certe siccius reddit.

LXVII.

A Consuetudine.

Si quis assueuit bibere uinum, ab eo nullo modo est arcendus, etiam in morbis, quibus laborantes aliq̃ uino uti prohiberi forte deberēt, aliquid enim cōdonandū est consuetudini.

LXVIII.

Est & hoc quasi religiose obseruandum, si principaliora membra uinū requirerent, idq̃ uel cōsuetudine uel aliās, reliquis autem aliquo modo obesse depræhenderetur: quod non statim ab usu uini desistendum sit, sed danda opera, ut corrigatur. quemadmodum aut paulo ante de Epilepticis dicebatur, sic in podagricis ne materiam trahat ad extrema, aliquid Mastiches adijci posset.

LXIX.

Cæterum

Caterum hanc quasi uniuersalem regulam perpetuo obseruandam ducimus, ut quilibet primo, secundum eam sententiā, quā antiquitas Apollini consecrauit, se ipsum id est suam naturā bene cognoscat, aut eandem Medicis dijudicandam tradat, deinde ut ni usum congruentem, secundum ea quæ dicta sunt, instituat, & experiatur diligentissime, quæ sibi uina conueniant, quæ minus. cōuenientia quidem fuluo auro præponet, reliqua uero tanquam uenenum fugiet.

LXX.

Ab Aetatibus.

Quamuis Galenus & alij, pueris ad annum circiter decimumquartum usq̃, uinum neutiquam concedant, nō tamē credimus de omnibus hoc affirmari posse, cū doctrina Galeni & calidissimam regionem & uina plena respiciat. At apud nos longe alia est ratio, frigida est regio, uictus ratio mala, unde humores frigidi & humidi colliguntur plures, Vina ut plurimū aquosiora & paucifera: Quanquam neq̃ calidis & siccis naturis, aut optimo sanguine abundantibus uti nos quidem temere concederemus.

LXXI.

Adolescentibus & iuuenibus liberalior potio uini conceditur, & quo proximius ad senectutem accedunt, eo liberalius bibendum, obseruatis tamen perpetuo circumstantijs de quibus hætenus præcipere studuimus.

LXXII.

Senibus autem qui uina interdiceret, is eorum uitæ recte inuidere diceretur, quam tamen omnes
C propter

propter prudentiam & multam diuturnamq; rerum
experientiā, ut maxime diuturna sit merito optamus.

LXXIII.

Eorum enim calor & spiritus innati, ita naturali cursu debilitati sunt, ut difficulter sanguinem bonum ex cibo & potu cōficere possint, nisi debito uini potu instaurent & adiuuentur, ipsumq; per se facile coquitur, & in bonum nutrimentum uertitur. Itaq; grauissimus author Plato senibus honestam etiam ebrietatem indulgit.

LXXIII.

Fit enim perfacile, ut senes tantum copiam frigidorum humidorumq; excrementorum, sæpe plane humorum crudorum colligant, ut in quibusdam libris Hippocrati ascriptis, contra naturam humidi dicatur, cum reuera sint siccissimi, quibus incidendo, abstergendo, calefaciendo, exiccando, bonum sanguinem augendo, cruda coquendo, tandem superflua expurgando, ualde conducit uini potio.

LXXV.

Cæterum cum senes sint ut plurimum melancholici, tristes, meticulosi, curiosi & nonnunquam duriores, hæc quodammodo mulcet, mitigatq; commodus uini usus.

LXXVI.

Quamuis & illi potationem uini, circumstantijs relatis hætenus, moderari debeant, tamen in reliquis omnibus uina copiosiora concedimus senibus, aut reliquorum pleniorum usum.

LXXVII.

Epilora

Epilogus.

Manifestum igitur, ut speramus, nunc est, verum & consentaneum usum vini cunctis hominibus ætatibus, regionibus, temporibus, sanis & ægrotantibus temperaturis conuenire. Quoniam non solum, ut aqua, potus est, sed etiam optimū nutrimentum: Bonum enim sanguinem corporibus præbet, calorem & spiritum natium confortat calefacitq; præhumidum sanguinem exiccando, turbidum clarificando, crassum incidendo, lentum extenuando, excrementosum extergendo, naturæ accommodatiorem reddit. Præterea corpus uenusto colore afficit, omniaq; ipsius membra corroborat, postremo uigorem menti addit, inducit enim tristitiæ dolorisq; obliuionem, ingenium acuit, omnesq; actiones & cogitationes alacriores efficit.

LXXVIII.

De abusu pauca.

Præter ea incommoda, quæ obiter à nobis dicta sunt, hæc quoq; mala abusum vini consequuntur. Pallor faciei, genæ pendentes, oculorum aliarumq; partium ulcera, manuum pedumq; contractio, pulmonis exulceratio, manus tremantes, lingua impedita, anhelitus admodum foetens, dolores capitis ingentes, sitis perpetua noctes diesq; urgēs, Epilepsia, paralytis, apoplexia, podagra, articulorum reliquorum cruciatus horribiles, omnium generum febres, *λιθιασμος*, *νεφριτις* & incurabilis hydrops.

LXXIX.

Horum malorū causas ordine exposuissēmus, &
à su-

à summis generibus incipiendo, usq; ad imas formas descendendo, si temporis ratio tulisset, quæ peculiarem disputationem forte, Christo fauente, fortientur.

ПРОБАНАТА.

I.

Cum uinum calidum & siccum sit, qui sit quod morborum non tam frigidorum, quam humidorum saepe causa existat?

II.

Vinum glacie aut aqua refrigeratum, quod hodie ubiq; ferè in usu est, cur perniciosum?

III.

Cur uinum paulatim epotum, etsi paulo copiosius, minus tamen caput lædat?

IIII.

An uina denuo feruentia, id quod anno à Christo nato 1556. frequentissime accidit, reliquis sint salubriora? & quæ huius feruoris causa?

V.

Num contentionum aut dissensionum, etiam summorum Philosophorum medicorumq; quorum alijs uinum frigidum alijs humidum esse uidetur, cum tamen reuera calidum & siccum sit, aliqua conciliatio inueniri possit?

VI.

Quæritur

Quæritur quomodo ex commoda uini, quod
siccum est, potatione, sanguis tam multū augeatur,
cum tamen idem sit calidus & humidus?

VII.

Frequenter in conuiujs queri solet, utrum com-
modius, à uino an à cereuisia bibendi initium su-
matur.

VIII.

Anno 1529. liquor quidam ex uuis frigore
corruptis, exprimebatur, quod uinum Turcicum ap-
pellabatur, & propter horribilem acetositatem bi-
bi non poterat, & tamen in acetum, uti experti si-
mus, non mutabatur, Recte igitur huius rei causa
quæritur.

IX.

An potus, qui delatius uulgo dicitur, recte
Cœnam præcedat, & si concedendum, an tutius à ui-
no initium sumatur?

X.

Virum pinguibus & obesius uinum & quidem
fortius, magis conueniat quam macilentis?

XI.

Quemadmodum multa hodie dolose in uinis
tractandis aguntur, ita quoq; quidam peruetustis, re-
centia

centia admodum, admiscant: Quæritur num talis
mixtura salubris?

XII.

Cur laborantibus, aut alioquin uehementius se
commouentibus, aut calidioribus naturis, post uini
portionem, præsertim ante cibum, aut to-
tum corpus, aut quædam partes, tam
celeriter rubescant?

FINIS.



